

ad Collinam Portam prostravit et reliquias adversariorum [eorum] qui se dederant in villa publica trucidavit; qui diffugerant in tabula proposuit iure permissis ut interficerentur.

5           **43. Ordo belli inter Caesarem et Pompeium**

Caesar et Pompeius et Crassus iuncta societate imperium Romanorum possidebant: Caesar Gallicos Crassus Syriacos exercitus habebat, Pompeius horum viribus fretus in senatu dominabatur. post Crassi mortem apud Parthos \*\*\* Titus Sempronius Gracchus, Quintus Lutatius Catulus.

**44. [De bello Macedonico]**

*fol. 9<sup>o</sup>* Populus Romanus cum Macedonibus bellum ter gessit: sub Flaminio consule regem eorum Philippum vicit, sub Paulo Persen Philippi filium, sub Metello Macedonico Pseudophilippum. primi belli causa quod de iniuriis Macedonum Graeci querebantur; secundi quod foedus cum patre suo percussum ruperit Perses; tertii quod falso nomen regum Macedonum Pseudophilippus invasit.

